

60

DISPUTATIO MEDICA, &c.

Cum Tetanus oritur a frigore, tepidum bal-
neum utile invenitur, et cum oritur ex intesti-
norum irritatione, emollientia et demulcentia in-
hae inventur.

Ad comparationem huiusmodi, seu orationem al-
tius ipse aut qui administratione, emollientia
enervata, et

DISSERTATIO MEDICA

enit, ut necessitas requirit. Et si cibus in esu
phagum non potest, intestina injicitur

INAUGURALIS,

DE

C A T A R R H O.

Blank area at the bottom of the page, possibly containing bleed-through or faint text.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

C A T A R R H O :

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GARDENUS MILNE,

Scotus,

IN CLASSE REGIA BRITANNICA

CHIRURGUS.

Ex tempestatibus vero optimae aequales sunt, sive frigidae,
sive calidae : pessimae, quae maxime variant.

CELSUS, lib. ii.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

—
EDINBURGI :

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

—
MDCCCXVIII.

VIRO SPECTATISSIMO

GEORGIO ROBINSON DE CAIRNGALL,

ARMIGERO;

OPPIDI DE BANFF, NUPER ET SAEPIUS

PRAEFECTO;

VIRTUTIBUS OMNIBUS, TAM PUBLICIS, QUAM PRIVATIS

ORNATISSIMO;

PATRIS FELICISSIMI,

INTER SOBOLEM PROSPERAM AMABILEMQUE,

MUNERA EXSEQUENTI;

PROPTER BENEFICIA, NEC PAUCA NEC PARVA,

IN SE SUOSQUE COLLATA;

HOC OPUSCULUM,

ANIMI GRATISSIMI, MONUMENTUM SINCERUM,

QUAMVIS PEREXILE;

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DEDICAT CONSECRATQUE

GARDENUS MILNE.

VIRO EXIMIO

GULIELMO ROBINSON DE PITMEDDEN,

ARMIGERO;

OPPIDI DE INVERURY

PRAEFECTO;

NON SOLUM SCIENTIA, LITERISQUE HUMANIORIBUS

ORNATO;

SED ETIAM SUAVITATE MORUM, ET VITAE INTEGRITATE

INSIGNI;

OB AMICITIAM EJUS, ET BENEFICIA PERMULTA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA;

HUNC LIBELLUM,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM EXIGUUM,

SACRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

DE

C A T A R R H O.

PROOEMIUM.

QUIBUSDAM fortasse mirabile videatur quod ad rem hujus dissertationis Catarrhum selegimus, qui ita saepe accidit, et de quo adeo multum scriptum est. Cum vero in animum eorum venit, nos per aliquot annos medicinam fecisse in regionibus, ubi hic morbus multum prevaluit; ubique causae ad ejus productionem solito assignatae non operari nobis visæ sunt; et ubi quoque solita methodus medendi, sudorifica nimirum, causa morbi redeundi saepius esse visa est, cessa-

bunt mirari nos hac in exercitatione Academica nobis proposuisse observationes nostras usu ductas in medium proferre de Catarrho, in quo diu versati sumus; quippe quae aliis quoque medicinam facientibus utiles esse possint. Hoc pensum, verbis quam paucissimis potuerimus, facere quam perfectissimum conabimur; nihilo tamen secius, aliis humanis operibus simile, quodammodo imperfectum sit.

DE HISTORIA.

Hic morbus plerumque cum dolore obtuso; sensuque gravedinis per frontem tendente incipit; cumque tremoribus potius obscuris, quibus calor solito major superveniat; cum difficultate et dolore oculos movendi; cum calore praeter solitum majore, obstructione et ariditate narium, quibus succedunt sternutamentum frequens, et fluxus humoris tenuis et acris, qui labium superius genasque interdum decorticat. His cito accedunt tussis sicca cum raucedine et molestia in trachea; quaedam respirationis difficultas cum

oppressione praecordiorum; rigiditas et dolor cervicis capitisque; et interdum inflammatio tonsillarum fauciumque lenis; et quaedam auditûs imminutio. Haec signa, simul cum pulsu frequenti, et pyrexia, saepius sub vesperam graviora evadunt, praesertim vero tussis, quae aegrum quiete privat ad tempus usque matutinum, cum fere abeat in somnum; atque per diem se bene habeat.

Tempore haud ita longo elapsø, profluvium e naribus spissius fit, coloremque subflavum acquirit. Excreatio primo tenuis, parca, albida, et non sine difficultate expectorata tussi comitatur; deinde spissior gradatim fit, et colore ad flavum inclinante, aut subcaeruleo, multo facilius ejicitur.

Paucos intra dies fluxus sensim imminuitur, et pòst, cum nullus factus esset, signa omnia evanescunt, et aeger ad valetudinem pristinam redditur.

Talis morbi est curriculum communis: in habitu tamen laxo, infirmo, aut scrofula imbuto, formam aliquando chronicam induit; aut, si indicia multo graviora facta fuerint, in Pneumoniam, Phthisin, Asthma, aut Hydrothoracem desinit.

Nonnunquam vero Catarrhus, *Influenza* dictus, per totam regionem grassatur epidemice, et contagio inter populos propagatur. Tum autem signa febris gravioris ostendit, saepius debilitate haud parva ab initio quidem comitatae.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Quaecunque Catarrho proclivitatem dent, ea inter causas ejus praedisponentes evidenter enumeranda sunt; hinc quicquid debilitatem systematis generalem, aut partium affectarum specialem moveat, id causa praedisponens est habendum. Hujus generis sunt malconformatio parietum thoracis, quae pulmones nimis continet, eosque ex actione etiam minima inordinata cordis et arteriarum ad morbum pronos reddit; et conditio laxa ex membranis narium, faucium, et bronchiorum. Illius sunt diathesis scrofulosa; affectiones omnes animum deprimentes; vita sedentaria, intemperantia; diaeta insalubris, evacuationes nimiae; exuere vestes solitas et laneas; et diu manere in conclavibus nimis

calidis, quod, praesertim in habitu delicato, vasa sub cute relaxat, et ex corpore etiam minimum objecto ad vicissitudines caeli Catarrhum excitare potest.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Frigus a Doctore Cullen causa esse sola excitans Catarrhi existimatum est ; et alii quoque eandem opinionem habuerunt. Doctor Beddoes autem frigus per se ad hunc morbum incitandum parum valere posse putavit, nam in ejus Hygeia his verbis utitur: “ That complaint of the membranes of the
“ head, windpipe, and chest, which properly
“ deserves the name of hot or inflammatory
“ catarrh, is not owing simply to cold. Ex-
“ cept in a very few instances where acrid
“ fumes are inhaled, it never takes place,
“ but from the concurrent or successive ac-
“ tion of cold and heat, or of stimuli equiva-
“ lent to heat*.” Paulo post etiam dicit idem auctor. “ By attention to the circum-

* Vide Hygeia, p. 66.

“ stances preceding catarrh, every doubt as
“ to the manner of its taking place will be
“ dissipated, if the mucous membrane of the
“ observer be not already too diseased to
“ admit of distinct perception of the succes-
“ sive phenomena. None of that stuffing in
“ the head, and huskiness in the throat,
“ which mark the beginning of the com-
“ plaint, when the patient is of a hardy con-
“ stitution and not very liable to Catarrh,
“ will be felt as long as he continues out of
“ doors. But after seating himself by the
“ fire, he will begin to feel universally on
“ fire, and these sensations will be very dis-
“ tinctly perceived *.”

Ex observationibus nostris nos oportet maxima in parte Doctori Beddoes consentire; semper enim plus valere Catarrhum vidimus, cum vicissitudines caeli subitae adessent; praecipue vero ab inferiore ad temperiem altiorem, et cum aër humore esset onustus. Praeterea, hunc morbum multo saepius accidere in nostris regionibus, Britannicis ni-

* Vide *Høgeia*, p. 69 et 70.

mirum, ubi mutationes caeli subitæ sunt, quam in altioribus seu tropicis, etiam novimus: itemque ad *Promontorium Bonae Spei* idem est*.

Doctor Pearson in dissertatione sua de Influenza anni 1803, quanquam frigori Catarrhum attribuit, dicit catarrhalem Influenzam primo sese ostendisse, “when a damp and
“mild state of the atmosphere had succeeded to severe cold†.” Dominus Mudge de Plymouth quoque dicit “that catarrh is
“frequently produced on exposure to the
“air after being in a large company, or sitting by a large fire‡.” Nosmet ipsi etiam multa vidimus exempla notatu dignissima, quae nobis persuaserunt frigus solum non Catarrhum inducere posse. Unum ex multis exemplum proferemus, Januario anni 1813, linter ex nave nostra terram petere missus est, ut nautae nuncias Russianas,

* Morbi pulmonum etiam in Sinu Persico saepe praevalent, ubi temperies aëris inter diem noctemque multum variat.

† Vide Pearson on Influenza, p. 3.

‡ Vide Mudge on Colds.

vulgo vernacule, “*Russian bulletins*” dictas, inter populos oras septentrionales Galliae incolentes divulgarent. Solum nix tegebat, ora glacie plena erat, ventus ab oriente flabat, et thermometrum ad gradum vigesimum tertium stabat. Terram capiebant circiter horam vespertinam octavam, caeterum ab excubiis hostium visi, suum ad lintrem se recipere cogebantur, et multo humore madefacti tandem remigando ad navem redierunt. Homines vestiti, ac soliti sunt, frigori maximo noctis objecti erant longius horas duas, et cum ad navem accesserunt, duo solum ex septem hominibus remigiis uti valuerunt, caeteri frigore torpidi et semianimes non in navem ascendere potuerunt, nisi auxilio nauatarum. Ad ignem accedere, quod omnes multum exoptaverunt, non concessum est, sed cubitum ire imperatum; et frictione et stimulis lenibus cito sese bene habuerunt: quorum nemo ullum incommodum ex morbo passus est. Paucos post dies tamen, cum africanus praevaluerit, et aëris temperies altior cum imbribus cito facta esset, multi homines Catarrho corripiebantur. Doctor Hamilton de Ipswich in communicationibus Ruris Occi-

dentalis casum insignem hujusmodi, ejus famuli nimirum, qui domo exiisset, et redire metuit. Ante domo proficiscendum Catarrho laborabat; sed, cum vicos sub divo totam per noctem perambulâsset, thermometro gradum vigesimum secundum indicante, domum rediit mane, Catarrhi et tussis, quae ante gravissima esset, et doloris quidem expers.

A multis chirurgis navalibus certiores facti sumus hunc morbum, ut eum cum aliis comparemus, rarum in mare Baltico esse tempore hiemali: ex iis aliisque rebus quas observavimus ipsi, existimare, quod humor et frigus raro, si unquam, Catarrhum faciant, persuasum est. Nautas etiam vidimus, qui spumis fluctuum imbricis non solum objecti sunt, verum etiam dormire coacti in lectis vix vestibibus siccioribus; et nihilominus perpauci eorum Catarrho impliciti sunt. Nobis quoque contigit observare centuriones et legatos navales huic morbo minus obnoxios esse, quam classarios, quia fortasse melius vestiti sint, et in parte navis frigidiore vivunt, nullo igni in domicilio omnibus legatis communi permissio; hinc minus excitantibus

causis objiciuntur. Quum nautae contra, praecipue ignavi, qui saepius infra sunt, et ignem accedunt ; Catarrho corripuntur.

His observationibus Catarrhum referre effectibus caloris stimulantibus post effectus frigoris sedantes ; aut multo rarius effectibus frigoris stimulantibus post effectus caloris sedantes, prorsus nobis persuasum est.

DE CAUSA PROXIMA.

Signis morbi et causis excitantibus jam memoratis bene perpensis, parum dubii esse potest, quin causa proxima sit inflammatio membranae mucosae narium, tracheae, et branchiorum, quam coryza, obstructio narium ex tumore membranae internae, rubor faucium, difficultas spirandi, et sanguis missus superficiem coriaceam ostendens, satis indicant.

DE DIAGNOSI.

Catarrhus cum Rubeola, Pertussi, et Phthi-si Pulmonali confundi potest ; cura autem

modica quidem adhibita, plerumque ab iis distinguere licet.

Si Rubeola in locis vicinis est frequens, et aeger noster nunquam ea laboraverat, difficilius erit primis diebus eam a Catarrho dignoscere, signa enim tum adeo similia sunt. In Rubeola tamen plerumque graviora sunt, praecipue febris primaria; adsunt quoque anxietas haud parva; major irritabilitas; et tussis paene morbo peculiaris. Die quarto omnis dubitatio morbi dissipatur adventu eruptionis.

Pertussis, praesertim cum lenis, non sine difficultate dignoscenda est Catarrho; eo magis si illa grassatur epidemica eo tempore, et aeger nunquam ea implicatus esset. Sin autem tenera aetate est, et tussis ab initio erat convulsiva, et periodis inordinatis redit cum inspiratione sonorâ comitata, morbum esse Pertussem concludere possumus.

Non potest quin maximi momenti sit Catarrhum Phthisi dignoscere, illo spoliatore insatiabili populi insulae Britannicae; quae Phthisis, ut dicit Doctor Woolcombe, haud minus quam quinquaginta quinque millia incolarum ejus florenti aetate quotannis e me-

dio eripit ; et quorum numerus immanis, ut idem ait, quotidie augetur.

Si aeger per aliquod tempus tussi durâ, frequenti, siccâ laborat, tandem cum expectoratione tenui, parcâ, comitata, quam frigori attribuit quibus accidunt dolores praecordiorum, quaedam spirandi difficultas, exercitatione solito majore aucta ; et exacerbatio matutina et vespertina ; si aeger habitu scrofuloso est, et imbecillis ; si illi pectus male formatum est, causam habemus magnam metuendi Phthisin in progressu esse. De hoc autem adhuc certiores facti esse possumus materiam ex pulmonibus exscreatam experimentis Doctorum Fordyce, Young, et Domini Caroli Darwin subjiciendo.

DE PROGNOSE.

Catarrhi prognosis plerumque faustissima, signa enim febris ferè paucis diebus remittunt ; appetitus redit ; respiratio facilis evadit ; mucus expectoratus spissior, blandior et facilius ejicitur ; et signa quidem omnia sine medicinae auxilio evanescent.

Indicia infausta sunt, cum dolor pectoris et spirandi difficultas intendantur, cum pulsus frequentior et plenior; calor major evadat; et cum signa Pneumoniae ingruere videantur, aut cum morbus insolitum ad modum continetur in iis ad Phthisin proclivibus; habitu scrofuloso praeditis; in iis thoracem male formatum habentibus; aut in senibus, in quibus haud raro in Catarrhum senilem; aut Bronchitidem Asthenicam, desinit.

DE PROPHYLAXI.

In hac regione mutabili quae

———— Gives lie to all astrology.

———— Cameleon like

———— puts on all colours, blushing now,
Now lowering like a froward pettish child;
This hour a zephyr and the next a storm,
Angry and placid by fits———— *

ad ~~Ad~~ omnes modos absistendi effectibus talis coeli decurrendum est. Exercitatio in aperto aëre omnibus tempestatibus ad procli-

* Vide Observer, No. 95.

vitatem in hunc morbum superandam praeter dubium efficacissima est *. Effectus ejus ad concoctionem promovendam; totum corpus roborandum, idque contra effectus vicissitudinum coeli muniendum, bene cogniti sunt. Atque ambulatio ad eas res conficiendas optima et maxime naturalis est; propterea quod actiones musculorum aequabilius ciet; haec autem intra fatigationem usurpanda est; neque adeo longe continuanda est, ut exhalationem per cutem copiosam eliciat.

Noster celeberrimus Gregorius his verbis utitur; “ Unica nimirum est via qua homines
“ sese tueri possint ab intemperie coeli gra-
“ vioris; corpora scilicet ita roborando et
“ indurando, ut pericula et incommoda quæ
“ evitare nequeunt tollerare valeant †.”

Hujus rei plurima habemus exempla apud nautas Britannicos; et apud piscatores etiam super *Newfoundlandiae* ripas, ut dicuntur, qui proximi omnibus regionis illius inhospitae vicissitudinibus per menses quosdam objici-

* Vide Thesin mei Amici Doctoris Jacobi Clark, de Frigoris Effectibus in Corpus Vivum, 1817.

† De morbis medendis mutatione caeli.

untur in lintribus inopertis ; et nihilo minus, raro ullo morbo implicantur.

Homines ad hunc morbum proclives vestimentis calidis et laneis cuti proximis uti debent ; quae utpote *caloricum* male transmittunt, calorem animale continent, gradumque temperiei aequalem per totam corporis superficiem sustinent : particulae halitûs cutis salinae ab iis cohibitae, ut veri simillimum ; electricitas accumulata ; et frictio vasa cutis stimulare, iisque tonum, seu vigorem majorem, dare possunt.

Haec vestis igitur lanea imprimis iis utilis est, qui habitu scrofuloso praediti sunt, et qui ad Phthisin proclives. Per noctem tamen semper exuenda est, quippe quae simul cum lodicibus laneis superincumbentibus calorem nimium retineat, qui febriculam et inquietudinem inducere possit.

Balneum frigidum quoque ad systema confirmandum maxime convenit. Hoc incipere omnes aetate ineunte, et continuare assidue, praesertim vero ad scrofulam et Phthisin proclives oportet ; diligenter regulis Doctoris Currie de hac re obtemperantes.

Parum aut nihil dictu opus est de cibis, nisi quod in rebus nutrientibus constare debeant; et de potu, qui esset aqua, aut proportio exigua liquoris fermentati. Aegrum aliquoribus meracioribus omnibus, spiritibus vulgo dictis, strenue praecavere oportet, ut omnes systema infirmant, atque fundamentum multorum morborum jaciunt.

DE CURATIONE.

Quanquam Catarrhus plerumque lenis natura sua remittat abeatque sine medicinae auxilio intra paucos dies; in omni casu tamen remedia efficacissima adhiberi debent; cujus rei neglectus praesertim in malo habitu ortum aliis morbis dare possit.

Catarrhus fere tractatus est aegrum in lecto, aut in calido cubiculo continendo; eique medicamenta diluentia et diaphoretica porrigendo: cum autem morbus, inflammatione comitatus sit, nobis persuasum est regimen antiphlogisticum idoneam optimamque methodum curationis praebere. Ab

experientia quorundam chirurgorum navali-
lium, praecipue mei amici Doctoris Archi-
baldi Robertson, acumine acri ingenii prae-
diti, summoque studio phaenomena morborum
observandi, artemque nostram colendi per-
moti, perinde ac a nostra, efficaciae ejus nos
confidere posse, dicere licet. Doctor Pear-
son in Influenza anni 1803 post diem morbi
secundum commendavit aëra frigidum, pur-
gantia, et vesicatoria, simul cum solutione
Supertartratis Potassae pro potu communi.
Certi sumus verò, multo majorem fuisse ei
successum, si eam tractationem a primo in-
gressu morbi exercuisset.

In casibus communibus si medicamentum
purgans ex salibus mediis sub initium acces-
sionis exhibeatur; si aeger in aëre frigido te-
neatur, et diaeta frigida et solutio Supertar-
tratis Potassae libere dentur, signa plerumque
intra diem, aut etiam intra paucas horas fu-
gabuntur. His rebus quoque morbus, qui
spatium haud breve duraverat, citò levatio-
nem accipiet.

Non est nobis incognitum quosdam pecu-

liari constitutione praeditos esse posse, in quibus aër frigidus morbum exasperet; iis fortasse, aliisque habitu admodum delicato, consilium diaphoreticum sit necessarium; hoc autem, ut tonum totius systematis solvit, nautas et milites morbo procliviores redderet, qui statim post morbum omnibus vicissitudinibus caeli iterum objiciendi sunt.

Si in regione pectoris adest dolor etiam levissimus, aut ulla spirandi difficultas; ad methodum medendi jam expositam addere oportet praesentem et liberam sanguinis missionem, quae semper secum fert instantem et plerumque diutinam allevationem. Sin autem signa iterum ingravescerent, missio sanguinis pro eorum violentia repetenda est; dum Emplastrum Vesicatorium parti dolenti applicandum; et mistura ex Aethere Sulphurico et Scilla Maritima composita ad expectorationem promovendam adhibenda est. In quibusdam casibus longis multum commodum interdum videmus ex usu machinae “Mudge’s Inhaler” dictae.

Cum Catarrhus in statum chronicum abie-

rit ; exercitatio in aëre aperto, diæta egelida,
et potus frigidulus, plerumque, si tempore
continuentur justo, curationem perfectam ef-
ficient.



